

actu colere Imagines, cum disciplinam spectet, mutationi obnoxia est, non secus ac cetera disciplinae capita, ita ut Ecclesia stare possit, etiam si nullas haberet Imagines, quas actu veneraretur; aut eas ad tempus prohibere secundum varias occurrentes circumstantias, non quod in se sint male, sed quia quandoque esse possunt occasio scandalii aut erroris; &c. sic Ezechias confregit serpentem æneum, quem Moyses jussu Dei creaverat, quia Judæis erat occasio idololatrandi.

Nota 2. in primis Ecclesie sæculis admodum infrequentem fuisse usum Imaginum, in quibusdam Ecclesiis nullum omnino, item, & statuarum vix ubicumque ullum. Id videtur constare 1. ex silentio Ethnicorum, qui alioquin non omisissent hunc cultum improbare nostris in confirmationem profanarum caeremoniarum, si palam ubique usurpatus fuisset. 2. Ex silentio Judæorum Imaginum hostium infensissimorum, qui etiam certo usum earum Christianis objecerunt, sicut postea fecerunt; quod tamen tunc non fecisse evincitur ex disputationibus SS. Patrum contra Judæos, v. gr. ex dialogo S. Justini cum Triphone Judæo, ex libr. Tertull. adversus Judæos, & aliis Patrum monumentis. Hujus autem disciplinae in prioribus Ecclesie sæculis causa fuit, quod, si usus Imaginum, & statuarum in omnibus Ecclesiis palam invalisset, in istis nascentis Ecclesie sæculis Religioni noxius magis, quam utilis fuisset, 1. quia Ethnici existimarent, Christianos non dereliquisse, sed mutasse tantum idola. 2. quia Christianis inter idolatras, & cum idololatris passim convertantibus, periculum erat, ne circa Imagines, & statuas cultum superstitionis Gentilium erga sua idola obibissent.

Nota 3. seu potius recole distinctionem Art. 1. positam inter cultum absolutum, & cultum relativum. Nota 4. non eandem esse rationem Imaginis Dei, & Christi, seu Sanctorum. Imagines enim Christi, & Sanctorum potius depingi, & coli fide certum tenemus tanquam dogma decisum in Concilio Nicæno II. & Trid. idque admittunt omnes Catholici; de imagine autem Dei non ita constat; quia nullibi est definitum, & aliunde est incorporeus, cujus ideo natura corporeis coloribus figurari non potest, licet tamen aliis titulis possit depingi, ut infra dicam. Hinc tempore Concilii VII. nondum erat in usu imago Dei, ut patet ex Epist. Gregorii II. ad Leonem Isaurum, ex act. 3. ejusdem Synodi, & ex S. Joann. Damasc. Orat. 1. de Imaginibus: ita ut quidam Theologi, ut Henricus, Tostatus, Durandus existimant nefesse esse Imagines Dei pingere, cujus tamen oppositum §. seq. ostendimus.

Nota 5. aliquando irrepisse abusus in cultu Imaginum, qui ad idololatriam vergent. Item & aliam superstitionem invaluisse apud Christianos, qui ad sepulchra defunctorum Imagines ipsorum superstitione cultu adorabant, contra quos scribit Aug. libr. 1. de moribus Ecclesie cap. 34. Hæc si attentè perpendas, Lector, iisque prudenti discrimine utaris, facile te poteris expedire a pluribus objectionibus, ex Patrum antiquorum operibus petitis.

Obj. ultimò. Homo est imago Dei; atqui tamen homo non colitur religioso cultu: ergo multò minus lignum, lapis, tela, aut quid simile, licet sit Christi, vel Sancti imago. R. (Hic art. 3. ad 7.) hominem utique, quatenus imago Dei est, esse veneratione dignum juxta Cyrillum Cathedra. 12. ubi ait: Imago lignea terreni Regis honoratur, quanto magis rationalis imago Dei: & Aug. Ep. 107. ad Maximum Episcopum Donatistiarum. Non tamen solet cultu religioso coli; quia, cum sit creatura rationalis, quæ secundum se est capax honoris, periculum esset, ne propter se coli putaretur; quod non potest contingere de imagine sculpta, vel picta in materia merè corporea, quæ secundum se non est capax honoris.

§. IV. Utrum Imagines Dei, & Angelorum possint depingi, & coli?

Dico. Possunt depingi, & coli Imagines Dei, & Angelorum. Quoad Angelos certum est, utpote definitum Act. 7. septimæ Synodi; ubi decernitur, Imagines non solum Christi, & inemerat Virginis, sed etiam venerandorum Angelorum, & omnium deinde Sanctorum Virorum, esse licitas, & honoraria veneratione colendas. Patet etiam ex Chersonis Arce, & ex S. Dionysio, qui cap. 15. Celest. Hier. apud Sylvium indicat suo sæculo usum fuisse pingendi Angelos. Quoad verò Imagines Dei, & Trinitatis, licet non æqua certitudine constet, quia non est definitum, videtur tamen etiam certum, cum eadem sit ratio Dei, & Angelis, uterque enim est incorporeus; & ita censet communis opinio Theologorum, paucis exceptis, ut dixi supra: proinde videretur nunc temerarium id negare. Itaque præter dicta, insuper.

Prob. & explicatur Conclusio. Si quid obstat, quominus possint pingi Deus, & Angeli, esset quia natura sunt incorporei, natura autem incorporea non potest delineari coloribus

sensibilibus, nec representari per figuram corpoream; atqui hæc ratio non obstat: ergo, Prob. Min. Dum pinguntur Deus, & Angeli, non pinguntur ad eorum formam, seu naturam, ut est in se representanda, quasi divinitatem, seu substantiam spiritualem Angeli, ut est in se, imago seu statua corporea possit representare; hoc enim est summè impietatis, & imperitiæ; nosciturque ab omnibus impossibile; sed pinguntur propter alia duo: 1. ad representationem figuram, in qua aliquando apparuerunt: 2. ad exprimendas figuratè, & per analogiam eorum perfectiones; quod nullo sensu potest probari illicitum; quin imò usus ipse Ecclesie probat licitum, & pium: nec Ecclesie usus tantum, sed & Scripturarum auctoritas: si enim Deus ipse sæpe se aspectabilem præberit; si Angeli sæpius sub humana specie apparere dignati fuerint; si sacræ Scripturæ Dei perfectiones sub membrorum corporeorum velaminibus nobis describant; si illi attribuant oculos videntes æquitatem, aures intendentes vocem orationis nostræ, brachium potens, viscera misericordiæ, &c. quidni poterit Ecclesia eis similiter penicillo exarare, cautè monendo has Imagines, perfectiones Dei, seu Angelorum adumbrantes, metaphorice esse intelligendas?

Igitur pingi potest Deus Pater ut antiquus dierum, quia sic apparuisse legitur Daniel. 7. in specie humana, qualis apparuit Adamo, & Evæ deambulans in Paradiso terrestri: sub specie flammæ ignis, qualis apparuit Moysi, &c. Spiritus S. depingi potest sub specie columbe, qualis apparuit in Baptismo Christi; vel sub specie disperitarum linguarum, qualis apparuit in die Pentecostes. Angeli verò depinguntur in specie humana, quia sic sæpe apparuerunt. Pinguntur Juvenes, ut exprimat eorum vigor, & vita, quæ nunquam senescit: appinguntur eis alæ, quia sunt Dei nuntii celerissimi exequentes ejus mandata: effinguntur in vestibus albis, ad significandam eorum puritatem, & innocentiam, &c. Ceterum servantur Imagines sive Dei, sive Angelorum, quas probat Ecclesia, nec aliæ excogitentur, quæ vel indecentiam, vel absurditatem, vel stupendam novitatem præ se ferant, ut si v. gr. pingereetur Trinitas sub specie unius hominis habentis tria capita, vel tres facies.

Dices: Isa. 40. dicitur: Cui simile fecistis Deum, aut quam imaginem ponetis ei? Idem Deuter. 40. & actum 17. Ita quoque docent Patres, Clemens Alex. libr. 5. Strom. Orig. libr. 6. contra Celsum, Justinus Martyr. Apolog. 2. Aug. de Civit. libr. 4. cap. 9. Ambros. in Ps. 118. & tandem D. Thom. hic ad 1. his verbis: Ipsi autem vero Deo, cum sit incorporeus, nulla imago corporalis potest poni; quia, ut Damascenus dicit, insipientie summè est, & impietatis figurare, quod est divinum. R. has omnes auctoritates intelligendas esse de imagine Dei, quæ ipsius naturam seu divinitatem figurat; quia, ut dicunt, incorporeus est; non autem de iis, quæ vel ipsius adpartiones, vel proprietates figuratè exhibentur.

§. V. Quo cultu Imagines sint colende?

Licet Ecclesia definiat, Imagines Sacras esse colendas, gravis tamen, & intricata difficultas restat, quomodo, & quo genere cultus sint colende: circa quam triplex est potissimum Theologorum sententia.

Exponitur prima sententia, & rejicitur.

Quidam dicunt, nullo modo imaginem esse in se colendam, nisi improprie, & abusive, sed solum coram imagine colendum exemplar, ita ut imago nullatenus sit terminus, sed tantum signum, seu conditio, qua excitatur ad honorandum prototypum. Ita Durandus, Alphonsus a Castro, & quidam alii. Sed hæc sententia communiter rejicitur a Theologis, & merito. 1. Quia constat ex Conciliis supra cit. Imagines verè esse adorandas seu colendas; atqui hoc esset falsum, si se haberent tantum ut signa excitativa ad adorationem exemplarium: excitare enim ad adorationem non est adorari: sic, licet creaturæ sæpe excitent mentes hominum ad adorandum Creatoris, non tamen ideo dicuntur adorari. 2. Concilium 7. Act. 7. dicit, Imagines Christi esse colendas, sed non latria; vult ergo aliquo alio cultu, vel modo in se esse colendas, & non solum exemplar colendum, quod colitur latria. 3. Concilium ibid. definit, Imagines esse venerandas eo modo, quo veneramur Evangelium, & sacra vasa; atqui ista honorantur in se proprie, ut omnes fatentur; licet enim horum veneratio sit relativa, terminatur tamen immediate ad hæc objecta, & ultimè ad id, ad quod habent relationem; & ratione cujus honorantur.

Dices 1. Res inanimata, & insensibilis non est in se adorabilis. 2. Juxta sententiam Basilii, in 7. Synodo sæpe repetitam, & Patres, honor Imaginis transit ad exemplar. Undè Hadrianus Ep. ad Imperat. dicit: Non ipsum lignum adoratur; sed, quod

quod in ligno ad contemplandum datur, & ita per recordationem veneratio exhibetur. Idem legitur in Concilio Maguntino tempore Pauli III. can. 41. idque confirmant hi duo versus, qui dicuntur compositi tempore 7. Synodi, quique leguntur Venerit, & referuntur a Sabellico libr. 8. Aneadis 8.

Nam Deus est quod imago docet; sed non Deus ipsa: Hanc videas; sed mente colas, quod cernis in ipsa.

R. ad 1. rem inanimatam non esse in se adorabilem propter se, seu cultu absoluto; potest tamen coli cultu relativo propter excellentiam alterius, ad quam habet aliquam habitudinem; ita ut sit objectum quod colitur, non tamen ratio ob quam colitur. Quando autem Theologi docent, Imagines esse colendas, intelligunt omnes de cultu relativo, nunquam absolute; quod bene advertit. Ad 2. & sequentià dico, per hæc omnia nihil aliud significari, quam quod veneratio non debeat sistere in imagine, sed transire ultimè, & principaliter ad exemplar; & quod non adoretur ratio sui, sed ratione exemplaris; cum enim passim delinant ipsa Concilia, & Patres, verè adorandas Imagines, sibi ipsis contradicentia, si intelligeretur adoratio relativa, quæ immediate transiret ad exemplar; tunc enim non verè coleretur imago, ut probatum est.

Exponitur due alie Sententiæ.

Secunda sententia est, quod idem cultus debeatur imagini, & exemplari, diverso tamen modo; exemplari propter se, imagini propter exemplar, id est, cultus absolutus exemplari, relativus imagini, ita ut ex imagine, & exemplari interpretur unum objectum totale adorationis, exemplar principale, & primum, imago secundarium, & ratione exemplaris. Undè, juxta hanc sententiam, Imagines Dei, & Christi adorantur latria, imago D. Virginis hyperdulia, Imagines Sanctorum dulia. Ita D. Thom. hic art. 3. Cajet. ibid. Alexander, D. Bonavent. Albertus Magnus, Medina, Richardus, Paludanus, Capreolus, Almain, Major, Marsilius, Thomas Wald. Soto, Turrecremata, quos citat, & sequitur Nugno. Fundatur hæc sententia 1. in dicitis Conciliorum, quæ docent honorem delatum imagini transire ad prototypum, ut modò dicebamus. Sic Synodus VII. Act. 7. Imagines enim honor ad primitivum transit, & qui adoratur imaginem, adoratur in ea depicti subsistentiam. Sic Synodus Trid. Sess. 25. decreto de invocac. SS. Honor, qui est (Imaginibus exhibetur, refertur ad prototypa, quæ ille representant; ita ut per Imagines, quæ osculamur, & coram quibus caput aperimus, & procombimus, Christum adoremus, & Sanctos, quarum illa similitudinem gerunt, veneremus; id quod Conciliorum, præsertim verò Nicæna Synodi, decretis contra Imaginum opugnatores est sancitum. Quibus planè verbis docent, eodem honore coli, & imaginem, & exemplar.

2. In sententiis Patrum, qui eodem modo loquuntur. Ambros. libr. de Incarnat. cap. 7. Nàm, cum in Christo imaginem Dei, & crucem adoramus, dividimus eum? S. Basilii libr. de Spiritu S. ad Amphilochem c. 18. Quam Rex dicitur Regis imago, non autem duo Reges; neque etiam potestas scinditur, neque gloria dividitur. Quemadmodum autem Principatus ac potestas nobis dominans una est, sic gloriatio, quam illi deferimus, una est, & non multa. itaque Imaginis honor ad exemplar primum refertur. Ita similiter Dionysius cap. 2. Celest. Hier. Greg. Nyss. citatus ab Hadriano in Ep. ad Imperatores, Damascenus l. 4. de fide, Athanasius libr. contra Arianos non longè a principio, Nicophorus Constant. in Dialogo Orthodoxus, Chrysost. apud Hadrianum Epistola cit.

Prob. 3. ratione, quæ est D. Thomæ (Hic art. 3. o.) & quæ coincidit cum ea, quæ usi sunt Concilia, & Patres citati. Motus, qui est in imaginem, in quanto imago alterius est, est idem cum illo, qui est in exemplar; atqui imago non adoratur nisi formaliter, ut imago alterius: ergo idem est cultus Imaginis, & exemplaris. Maj. est Aristot. libr. de memoria, & reminisc. cap. 2. Et patet; quia 1. imago formaliter quatenus alterius representativa unum moraliter dicit cum suo prototypo. 2. Quia una est in utroque ratio adorationis, scilicet excellentiæ prototypi: ergo. Magis hæc ratio elucidabitur ex dicendis infra.

Confr. 1. Lux, & color eadem visione videntur; quia color videtur ratione lucis; atqui similiter imago adoratur ratione prototypi: ergo una, & eadem adoratione adoratur. Confr. 2. Mensura adorationis cujusque rei est ratio propter quam adoratur; atqui ratio, propter quam adoratur imago, non est alia, quam excellentiæ prototypi: ergo.

Prob. 4. a contrario. Eadem est ratio Imaginis, & exemplaris respectu inonorantis: ergo, & respectu honorantis. Ant. patet; qui enim imaginem Regis contumelia afficit, reus censetur læsæ Majestatis; ac si ipsum Regem contumelia affecisset. Undè S. Athanasius Episcopus Theopolis, citatus Act. 4. septimæ Synodi, dicit: Qui contumeliam infert imagini Imperatoris,

panam justam perpetitur, ac si eadem Imperatori contumelias irrogasset.

Prob. 5. ex usu Ecclesie, sic canentis: O crux ave spes unica, auge piis justitiam, &c. & adorantis lignum crucis feritæ G. Parascæves.

Tertia sententia docet, Imagines in seipsis, & proprie esse quidem adorandas, attamen honore minori, quam exemplar, qui cultus, seu honor analogicè tantum, & reductivè pertinet ad speciem cultus, qui debetur exemplari, sicut imperfectum ad perfectum sui generis; ideoque nullam imaginem adorandam esse latria. Ita Sanderus, Catharinus, Perezius, Bellarminus Cabassutius, & alii plures.

Pro hac sententia militant etiam argumenta nec pauca, nec levia. 1. Synodus 7. Act. 7. definit expressis verbis, Imagines esse verè adorandas: non tamen secundum latriam; Illis, inquit, scilicet Imaginibus, salutationem, & honorariam adorationem exhibeant, non secundum fidem nostram veram latriam, quæ solum divine nature competit. Et ibid. Basilii Ancyranus Act. 1. & Constantinus Cyri Episcopus Act. 3. abjurantes heresim pronuntiant se recipere, & colere Imagines, non tamen veneratione latriæ. Similiter Damascenus libr. 1. & 3. Apologetico, quibus jungi possunt S. Aug. Ep. 119. cap. 11. & Greg. Magnus ad Serenum de quo supra, Concilium Senonense Can. 14. Moguntinum Can. 41. qui omnes, & alii, cum prohibeant adorari Imagines, non censendi sunt denegare omnem cultum Imaginibus, ut Iconomachi, sed solum latriam. Nec dicas, hæc esse intelligenda de adoratione latriæ ratione sui ipsius, non ratione exemplaris. Etenim Concilium 7. postquam dixit, veram latriam non esse exhibendam Imaginibus, immediatè subdit esse honorandas, sicut Sacra Evangelia, & sacra Vasa, quod repetit Concilium generale 8. Act. 10. Can. 3. his verbis: Sacram Imaginem Domini nostri Jesu Christi, & omnium Salvatoris, æquo honore cum libro Evangeliorum adorari, decernimus... dignum est, ut... derivativè Imagines honorentur, & adorantur ut Sanctorum Evangeliorum sacer liber, atque typus pretiosæ Crucis. Nemo autem unquam dixit, latriam deferri libro Evangeliorum, seu Vasis sacris.

2. Latria est cultus proprius soli Deo; sed quovis modo consideretur Imago, etiam ut imago formaliter, non est Deus. Nec dicas, latriam esse propriam Deo, quando exhibetur ratione sui; non autem, si exhibeatur ratione alterius. Nàm hoc ipso quo exhibetur ratione alterius, non est latria; latria enim essentialiter est summus cultus, qui exhibetur rei propter se, seu, ut alii dicunt, qui exhibetur Deo ut primo principio. Implicitè autem, exhiberi summum cultum ut primo principio, & propter aliud.

3. Imago ut imago distinguitur ab exemplari; nihil enim est sui ipsius imago, & est ipso inferior, longè enim majus est esse Christum, quam esse imaginem Christi: ergo non eodem, sed minore cultu adoranda. 4. Impossibile est, unam, & eandem adorationem esse simul absolutam, & respectivam, differunt enim genere absolutum, & respectivum; atqui adoratio Christi est absoluta, adoratio ejus imaginis est relativa, ut in confesso est apud omnes: ergo. 5. Adoratio Christi est causa adorationis imaginis: ergo non est una, & eadem adoratio; causa enim, & causatum distinguuntur. Patet Ant. Quia Christus est causa adorandi imaginem. 6. Ab absurdis sequeretur 1. Christum, si esset præsens, non adorari majori adoratione, quam in imagine, quæ est summa adoratio. Consequens autem est contra communem sensum, & contra experientiam; non enim tantus honos exhibetur imagini Regis, quam ipsi Regi personaliter præsentati. Sequitur 2. quod liceret vota nuncupare imaginis, illi sacrificare, in illam spem nostram ponere; eadem enim ratio est de isris, ac de adoratione. Hæc autem sapienter idololatriam, & damnantur a Conciliis, maxime Trid. cit.

Resolutio Questionis.

Nota (Hic art. 3. o.) Imaginem posse tripliciter considerari. 1. materialiter ut est res quædam, auro, ligno, tela constans, figura, coloribus, lineamentis, aliisque artis ornamentis decorata: sic sumpta imago nulla veneratione est digna. 2. (Ibid.) Potest considerari formalissimè imago prout in actu exercitio exercet officium imaginis, quod est actu exhibere exemplar, cujus vices gerit, & a quo sub ista formalissima ratione non distinguitur nisi penes diversum essendi modum, eo ferè modo quo species intelligibilis est ipsum objectum in esse intelligibili. Imago enim formaliter, & reductivè qua imago idem est, quod exemplar in esse representativo, licet ut est res, addat materiam, figuram, colores, &c. & hic modus considerandi imaginem est illi proprius, nec ita proprie convenit aliis rebus Sacris, aut signis respectu Dei, vel Sanctorum. 3. Quodam modo medio quidam iterum considerant imaginem, nem-



pe prout est res Sacra, cultui divino deputata, & in honorem Dei, & Sanctorum instituta, habens vim eos significandi, seu representandi; & sic, inquit, consideratur etiam ut imago formaliter non in actu exercito, sed in actu signato, non ut actu representans, sed ut representativa, & ut habens relationem ad exemplar, a quo mutuatur quaedam significatio; & quasi consecrationem, eo fere modo quo codex Evangeliorum, signum crucis exteriori expressum, Vasa Altaris, Reliquie Sanctorum propter relationem, quam habent ad res Sacras, dicuntur sacra. Ita Suarez, Sylvius hic, & alii. Et, licet S. Thom. hic non meminerit istius modi, cum tamen agnovit alibi, inquit Sylvius, scilicet 2. 2. q. 99. art. 1. ubi docet, aliquid dici Sacrum ex eo, quod ad divinum cultum ordinatur: & art. 3. rerum Sacrarum ordinem exponens, recenset personam Sacram. 2. Sacramenta, tum addit: *Post Sacramenta autem secundum locum tenent Vasa consecrata ad Sacramentorum susceptionem, & ipsa Imagines Sacrae, & Reliquie Sanctorum, in quibus quodam modo ipsa personae Sanctorum venerantur.* His notatis

Dico 1. Loquendo de Imaginibus, tertio modo consideratis, vera videtur tertia sententia, & hoc sensu esse intelligendam innuit Bellarminus l. 2. de Imaginib. c. 24. in Resp. ad 5. arg. ex ratione D. Thom. Illam autem probant monumenta, quae superius protulimus. Si obijcias, cultum imaginis etiam hoc tertio modo consideratè ultimè terminari ad Christum, seu Sanctum, Christo autem deberi latram, Sancto duliam; respondet Bellarminus ibid. Christo quidem deberi latram quando adoratur, ut est in se, non autem quando adoratur, ut est in imagine per participationem: quemadmodum, qui honorat famulum Regis, honorat Regem, longè tamen aliter honorat Regem in propria persona, quam in famulo.

Dico 2. (Ibid.) Loquendo de Imagine, secundo modo considerata, formalissimè ut imago est, & in actu exercito, secunda sententia videtur admittenda; quia tunc ex imagine, & exemplari integratur unus terminus adorationis, ita ut tamen exemplar in recto importatum, v. g. Christus in imagine refulgens, adoretur primario, & propter se, imago verò in obliquo importata, secundario, & propter exemplar.

Undè sequitur 1. Quòd adoratio exemplaris sit absoluta, adoratio imaginis relativa, & hac ratione inferior ad adorationem exemplaris; plus est enim adorari primario, & propter se, quam secundario, & propter aliud. Sequitur 2. Quòd, licet adoratio, quae terminatur ad imaginem, sit latra, quia est eadem individualiter cum adoratione exemplaris, non habet tamen ab imagine quòd sit latra, sed ab exemplari: sicut, licet eodem actu visionis beatificè intellectus videat Deum, & creaturas, non tamen est beatitudo formaliter, quatenus terminatur ad creaturas: undè adoratio, prout terminatur ad imaginem, non est formaliter, & reduplicative latra; sed materialiter tantum, seu specificative. Et hac sententia sic explicata fortè non displicebit auctoribus tertie sententiae: illam probant, quae superius in ejus expositione adduximus. Ceterum

*Solvuntur argumenta tertiae Sententiae, in quantum militiant contra hanc secundam Conclusionem.*

**A**D 1. R. Et Concilia, & Patres intelligendos esse de latra absoluta, non relativa; seu, quod idem est, de latra quoad substantiam, & modum, non de latra quoad substantiam tantum. Dupliciter itaque potest accipi latra. 1. Ut significat latram simpliciter tantum, id est, quantum ad substantiam. 2. Prout significat latram quoad substantiam, & modum, simul importando, & quod terminetur ad hanc rem, & quod terminetur ad illam ratione ipsius: haec soli Deo, & Christo convenit; illa ejus imagini. Hoc autem sensu intelligenda esse Concilia, & Patres, constat; cum enim asserant, imagines Christi, & Sanctorum eadem adoratione adorari, ac ipsorum exemplaria, ut vidimus in probatione hujus secundae sententiae; & aliunde dicant, non adorari latra, cum tamen exemplaria adorentur latra; ut contradictio videretur, necessarium dicendum est, imagines non adorari latra ratione sui, latra absoluta, latra quoad substantiam, & modum; adorari tamen latra ratione alterius, latra respectiva, latra quoad substantiam tantum; in quo nulla est contradictio. Posset etiam fortè dici, has auctoritates esse intelligendas de imagine, tertio modo considerata. Ad instantiam in contrarium R. Concilia, & Patres dicere, imagines adorari ut codices Evangeliorum, & sacra Vasa, lyat dicente omnimodam paritatem, N. aliquam, C. Volunt ergo Concilia, & Patres, Imagines, sicut sacra Vasa, non adorari cultu absoluto, & ratione sui, & in hoc est paritas, quam intendunt, non tamen quòd sit diversus honos, qui exhibetur imaginis, & prototypo, sicut est diversus, qui exhibetur Vasibus sacris, & Deo. Et enim, ut diximus, specialis ratio de imagine, quae, ut est imago formalissimè, est ipsum objectum in esse representativo. Vel loquuntur de imagine, tertio modo considerata, prout esse representativa tantum in actu primo.

Ad 2. R. eadem solutione, D. Maj. Latra absoluta, latra ratione sui, latra quoad substantiam, & modum est propria Deo, C. Latra relativa, latra ratione alterius, latra quoad substantiam tantum, N. Et ad instantiam similiter, D. Hoc ipso quo exhibetur latra ratione alterius, non est latra absoluta, seu quoad substantiam, & modum, C. Non est latra relativa, seu quoad substantiam tantum, N. Similiter ad Probationem: latra est essentialiter summus cultus, qui exhibetur rei propter se, seu ut primo principio, latra absoluta; seu latra quoad substantiam, & modum, C. latra relativa; seu quoad substantiam tantum, N.

Ad 3. D. Ant. Imago ut imago distinguitur ab exemplari penes ipsum modum essendi, C. penes rem ipsam, N. Est enim eadem res exemplar, & imago, sed sub diverso modo, exemplar in esse entitativo, imago in esse representativo. Undè similiter D. Conseq. Ergo imago non est adoranda eodem cultu quoad modum, C. quoad substantiam, N. Sive C. totum: adorari enim ratione alterius est quid inferius, & modus adorationis diversus ab adoratione ratione sui, licet possit esse idem quoad substantiam: adoratur autem imago ratione alterius, exemplar ratione sui.

Ad 4. R. D. Ant. Impossibile est, unam, & eandem adorationem esse simul respectivam, & absolutam, respectu unius, & ejusdem, C. respectu diversorum, N. ad 5. N. Ant. Ad Probat. D. Ant. Christus est causa adorandi imaginem, hoc sensu, quòd Christus, seu adoratio Christi efficiat adorationem imaginis, N. hoc sensu, quòd ratione Christi, qui primario, & propter se adoratur, imago secundario adoretur, C. Sed N. Conseq. Licet enim color videatur ratione lucis, eadem tamen visione videtur.

Ad 6. R. ad 1. Sequelam, quòd, si Christus esset personaliter praesens, adoraretur adoratione majori individualiter, non specificè; latra enim admittit intra propriam speciem gradus, & latitudinem. Ad 2. Sequelam, N. illam; illi enim actus sunt supremi gradus latrae, qui non nisi soli Deo secundum se deferuntur. Existimat tamen Nugno, hos actus etiam posse fieri ad imaginem, seu coram imagine, quia ferent ad imaginem in ordine ad Christum, & ratione illius, non autem quòd crederetur inesse ei aliqua divinitas, seu aliqua virtus, quòd damnat Trid. sess. 25. decreto de invocatione SS.

Obj. Insuper maxime contra rationem D. Thom. Adoratio imaginis, & adoratio exemplaris se habent ut electio, & intentio, adoratur enim imago propter rem imaginatam; atque electio, & intentio sunt actus distincti: ergo, R. N. Ant. Ad Probat. D. Imago adoratur propter rem imaginatam, lyat propter dicente causam finalem tantum, N. dicente etiam causam formalem, C. Et sub hac ratione hic consideratur.

Inst. Qui videt imaginem Christi male pictam, odit imaginem, ut imago est, & tamen diligit Christum: e contra, qui videt imaginem Judae bene ipsam experimentem, diligit imaginem, ut imago est, & odit Judam: ergo non est idem motus in imaginem, & in rem imaginatam. R. D. Ant. Qui videt imaginem Christi male pictam, odit imaginem, ut imago est materialiter, & diligit Christum, C. ut imago est formaliter, & formalissimè Christi, N. Odit itaque formam figuræ male proportionatam cum exemplari, vel diligit formam figuræ, quatenus est bene proportionata exemplari, veramque ad illud relationem habet; sed hoc est considerare imaginem materialiter, & ut res est, non formalissimè, ut exercet officium imaginis, quòd est exhibere in actu exercito exemplar gerendo ejus vices. Undè in hoc casu odit imaginem Christi, quia imago est, non quia est imago Christi; & diligit imaginem Judae, quia imago est, non quia est imago Judae; fieri enim non potest, quòd quis diligit imaginem Christi, quia est imago Christi, quin simul diligit Christum, quia Christus est causa, cur diligit imaginem.

Repones: Juxta hanc sententiam sequeretur, quòd verbum mentis Christum representans deberet adorari latra, est enim idem motus in speciem intelligibilem, & rem intellectam. Sequitur insuper omnes res sacras, Evangelia, Vasa Altaris, imò omnes creaturas, posse adorari latra; nihil est enim, quod non habeat aliquam relationem ad Deum, & in quo Deus non possit representari, ut principale objectum adorationis; quae tamen omnia videntur inaudita: ergo, R. Quoad verbum mentis nullum videri inconveniens, si ratione rei, cujus est naturalis similitudo, adoretur ut imago. Quoad alias res sacras non difficeo, quin absolute loquendo Deus possit in ipsis, & per ipsas representari, ut principale objectum adorationis, & illæ simul representantur ut aliquid Dei eadem adorationem secundario terminare, ut vestes Regis simul cum eo secundario terminant adorationem, quae ei exhibetur, juxta D. Thom. art. 4. seq. o. Vel ut Reliquie Sanctorum, quando adorantur simul cum Sancto, cujus sunt Reliquiae, ut dicemus. Neque enim una est ratio, cur creatura cum Deo, vel cum aliquo Sancto cogitatione conjuncta adorari potest; sed plures assignantur. Prima est representatio perfectior ac facillior, & haec est in imagine. Secunda est contactus realis etiam praeteritus, & haec est in iis, quae Christum, vel

Sanctum tetigerunt, ut sunt crux, clavi, vestes. Tertia est, cum res, quae adoratur, fuit aliquid ipsius Sancti, ut sunt membra ejus corporis. Quarta est specialis deputatio ad cultum divinum ut in vasis sacris; aut quævis specialis pertinentia, seu relatio ad rem sacram vel Deum, ut quævis expressio Evangeliorum, signum crucis &c. Quintam addit Vasquez, nempe generalem relationem cujuslibet creaturae ad Deum ut ad suum auctorem intinè sibi presentem; quam tamen alii negant. Ceterum, licet quæ sunt venerabilia secundo & tertio modo ratione contactus realis ad personam sacram, vel quia sunt partes ejus, simul eadem adoratione soleant adorari, ac ipsa persona, propter immediatam conjunctionem seu relationem ad illam, ut dicemus de Reliquiis Christi & Sanctorum; item & maxime imagines, quia non possunt considerari formaliter ut imagines nisi cum prototypis; non sic tamen solent apprehendi & adorari, quæ quarto modo sunt venerabilia, quæ non dicuntur relationem immediatam ad ipsam personam sacram, sed mediatam tantum: sic Vasa sacra dicuntur immediatam relationem ad cultum divinum, mediante cultu ad Deum: codex Evangeliorum immediatam dicit conjunctionem ad verba significantia veritatem, & his mediantibus ad ipsam essentialem veritatem; signum crucis immediatè representat crucem Christi, & ipsa mediante Christum. Quoad omnem aliam rem mundi non sacram concedit Vasquez, ut diximus, quòd, cum sit opus Dei, & in ea Deus continet sit & operetur, possumus æquè facillè in ea Deum cogitare, quam Virum sanctum in veste, quam habuit, & sic illum in ipsa & cum ipsa adorare eadem adoratione; quod confirmat ex juramento, quòd est actus Religionis, & tamen fieri potest per quamcumque rem ut in ea recluder veritas divina. Fateretur tamen, illas omnes res non sacras non proponi communiter populo adorandas propter periculum Idololatriæ, ratione ignorantie populi. Alii, ut Nugno, dicunt, ut res aliqua adoretur simul cum Deo, non sufficere conjunctionem illam generalissimam cujuslibet creaturae ad Deum, sed specialem requiri, qualis est una ex quatuor assignatis.

Ex dictis videtur, Bellarminum (quem ex scribit hic Honoratus Tournely) modum excessisse, dum dixit l. 2. de Imag. c. 22. *Hunc loquendi modum, nostræ Conclusionis, non carere magno periculo, offendere aures Catholicorum, & præbere occasionem Haereticis liberis blasphemandi.* Fortè non attendebat, dum hæc scriberet Auctor præclarissimus, hanc esse sententiam S. Thom. S. Bonavent. Alexandri de Hales, Alberti Magni, & illustrium Scholasticorum. Sed & observandum est, quòd hunc loquendi modum sigillet laudat Bellarminus, præsertim in *Concione ad populum*, propter subtilitatem distinctionum quarum non est capax populus imperitus; quam modificationem censuræ adnectere non placuit ejus exceptori, cui vix inquam non placent, quæ liberaliter dicuntur contra Scholam D. Thomæ.

Eadem ut videtur animi propensione idem Tournely initio ejusdem Questionis inter observanda numero tertio sic loquitur: *Multa displicet hæc D. Thomæ sententia, quam parum idoneam existimant, Novatoribus nostris ad unitatem fidei hæc in parte revocanda. Quapropter illustrissimus ac doctissimus Bossuetius in Epistola de adoratione Crucis, ad virum Religiosum scripta die 6. Julii anno 1691. pag. 22. consentit, ut si hæc Angelici Doctoris loquendi ratio nequam offendant, suppressatur, nec ulla ipsius habetur ratio Sinceritas hic iterum desideratur in Theologo Parisiensi; sic enim habet illustrissimus, & doctissimus Bossuetius Epistola cit. S. Thomas tribuit cruci cultum latra, qui est cultus supremus; sed seipsum explicat dicendo, quòd sit latra respectiva, quæ ex hoc ipso non est amplius in se suprema, nec talis evadit, nisi quia refertur ad Christum. Fundamentum hujus S. Doctoris est, quòd motus, qui tendit in imaginem, sit idem cum illo, qui tendit in archetypum, & quòd utrumque simul uniat. Quis hunc sensum culpare potest? Nemo certe. Si expressio displiceat, potest omitti, sicut absque hesitatione fecit P. Petau; Ecclesia enim non adoptavit hanc S. Thomæ expressionem. Sed magna erit imbecillitas & vanitas, si res, quæ sensum tam rationabilem habent, quemquam commoveant. Id profecto mirum est, imò & horribile, dum attenditur has tricas conque progredi ut abrumpan unitatem (1).*

Non displicet ergo illustrissimo ac doctissimo Bossuetio Sententia D. Thomæ; quin e contra illam adeo veram existimat, ut eam a nullo posse culpari, certo asserat; adeo rationabilem, ut imbecillitati & vanitati deputet, si quis inde commoveatur; im-

serum dicat & horribile, si cavillando inde unitas abrumptur. Si tamén expressio, non sententia, auribus delicatulis displiceat, potest salvo sensu omitti, non quia mala aut falsa, non quia illius aut S. Thomæ nulla ratio est habenda, (hoc enim ambiguum est apud Tournely) sed quia Ecclesia illam non adoptavit. Quoniam hæc dissent à verbis Tournely, quæque fides sit huic Theologo adhibenda, ubi de S. Thoma aut ejus Schola agitur, hinc & ex aliis, quæ alibi observavimus, judicet æquus Lector.

Peter, utum cultus Imaginum cadat sub Præcepto? R. 1. Datur præceptum negativum naturale, nullam inferendè irreverentiam sacris Imaginibus; quia est intrinsecè malum contrà virtutem Religionis, indebitè & irreverentè tractare res sacras. 2. Datur præceptum naturale affirmativum, servandi debitum modum in cultu Imaginum, ita ut, dum coluntur, abstinetur ab omni cultu superstitioso & indebito. 3. Multi negant, dari ullum præceptum affirmativum colendi Imagines: non naturale; quia, licet ex principis fidei & rationis teneamur colere Deum & Sanctos, inde tamen non colligitur nos tali modo teneri eos colere, scilicet per imagines: non positivum; quia neque in sacris Litteris continetur, neque ex traditione colligitur. Quidam volunt, ratione consuetudinis esse modum in Ecclesia præceptum affirmativum aliquandò colendi Imagines. Ceterum certum videtur, eum peccaturum ratione scandali, qui nunquam coleret Imagines.

ARTICULUS IV.

De cultu Crucis, & Reliquiarum.

**D**ico 1. (Hic art. 4. & 6. o.) Crux Christi, sive ea, in qua pependit, sive alia, quæ ad ejus similitudinem effinguntur; item ceteræ Reliquie illius ac Sanctorum sunt veneratione & cultu dignæ. Nominè Reliquiarum Christi & Sanctorum non intelligimus solum partes eorum corporum, sed vel quæ ipsis conjuncta fuerint ut vestes, vel ea, quibus usi sunt, dum viverent, ut instrumenta, vel ea, quæ ad eorum corpora fuerint admoda ut semicinctia, vel ea, quæ fuerint ipsis instrumenta supplicii ut catenæ Petri, &c. Undè non solum veram Christi crucem veneramus, sed etiam ea omnia, per quæ, & in quibus salutem nostram operatus est, Clavos, Lanceam, Tunica, Fascias, Linthea, Montes Sion, Olivarum, Calvarie, Præsepe Bethlehem, Monumentum, &c.

Prob. 1. ex Scriptura Gen. 50. Exod. 17. Osa Jacob & Joseph cum magno honore conservantur & transferuntur ex Ægypto. 4. Reg. 13. Osa Elisei suscitant mortuum ex contactu. Isa. 11. dicitur de Christo: *Et erit Sepulchrum ejus gloria sum.* Matth. 9. Hemorroissa tangit summa cum veneratione Christi fimbriam, & sanatur. Act. 19. Fideles venerabundè tangunt sudaria & semicinctia Pauli, & curantur. Prob. 2. ex Conciliis. Concilium Nicænum 2. Act. 7. definit, Imagines esse adorandas ad modum & formam venerandæ & vivificantis crucis. Concil. Trid. sess. 25. de invocatione SS. definit, affirmante, *Sanctorum Reliquiis venerationem atque honorem non deberi; vel eas, aliaque sacra monumenta à fidelibus inutiliter honorari, atque eorum opis impetrandæ causa Sanctorum memorias frustra frequentari, omnino damnandas esse, prout jam pridem eos damnavit, & nunc etiam damnat Ecclesia.* Et initio capituli declarat, hunc cultum esse juxta Catholicæ & Apostolicæ Ecclesie usum à primævis Christianis & Religionis temporibus receptum; adeoque esse Apostolicam Traditionem.

Prob. 3. Ex Patribus. Legatur S. Hieronymus contra Vigilantium, Ambros. hom. 91. 92. Greg. Nazianz. Orat. 2. Basilios supra Ps. 115. Aug. Serm. 11. de Sanctis, Damascen. l. 4. de fide c. 12. Chrysost. hom. 83. in Joann. Origenes hom. 6. in c. 15. Exod. Cyrillus Jerosol. Catechesi 23. Prob. 4. ex miraculis factis ad præsentium seu contactum sanctæ Crucis & reliquiarum Sanctorum, quorum quedam refert Aug. l. 22. de Civit. c. 8. Toti mundo nota sunt miracula facta in inventionem, exaltationem, & Apparitione Sanctæ Crucis, facta Constantino Magno cum his verbis, *in hoc vince*, ut referunt Eusebius, Sozomenus, Paulus Diaconus, &c.

Prob. (Ibid. art. 6. o.) ratione fundata in verbis Augustini l. 1. de Civit. c. 13. Qui habet affectum ad aliquem, veneratur etiam ea, quæ de ipso post mortem relinquuntur, non solum

(1) S. Thomas attribuit a la Croix le culte de latra, quæ est le culte supremus; mais si s'explique en disant, que c'est une latra respectiva, qui dès là en elle même n'est plus supreme, & ne le devient, que parce qu'elle se rapporte à JESU CHRIST. Le fondement de ce S. Docteur est, que le Mouvement, qui porte à l'Image, est le même, que celui, qui porte à l'Original, & qu'on unit ensemble l'un & l'autre. Qui peut blâmer ce sentiment? Personne sans doute. Si l'expression de plaisir, il n'y a qu'à la laisser la, comme a fait sans hésiter le P. Petau; car l'Eglise n'a pas adopté cette expression de S. Thomas. Mais on sera bien foible & bien vain, si on est étouffé de choses, qui ont un sens si raisonnable. En vérité cela fait pitié; & quand on songe, que ces chicanes sont pour se et jusqu'à à rompre l'unité cela fait horreur, Oeuvres de Bossuet Thom. 5. pag. 177. Edition de Paris 1743.



lum corpus aut partes corporis ejus, sed etiam exteriora, puta vestes & similia; atqui manifestum est, quod non solum Christum, sed etiam Sanctos Dei in veneratione habere debemus, tanquam membra Christi, Dei filios & amicos, & nostros intercessores: ergo eorum Reliquias qualescumque honore congruo in eorum memoriam venerari debemus. Verba autem Aug. undè D. Thom. desumit hoc argumentum, sunt hæc, loco citato: Si paterna vestis & amulus, ac si quid est hujusmodi, tamò carius est posteris, quàm erga parentes est major affectus, nullo modo ipsa spernenda sunt corpora, que utique multò familiarius atque conjunctius, quàm qualibet indumenta, gestamus.

Obseruandum (Ibid. art. 4. o) crucem, in qua Christus pendit, duplici ratione coli: uno modo, in quantum representat nobis figuram Christi extensi in ea: alio modo ex contactu ad membra Christi; & ex hoc quòd ejus sanguine est perfusus: alias autem crucis, que effinguntur, veneramus tantum ut imaginem Christi crucifixi.

Dico 2. (Ibid.) Si Crux & aliæ Reliquiæ Christi & Sanctorum apprehendantur simul cum eo, cujus sunt Reliquiæ, tanquam unum totale objectum, eodem cultu adorantur: Christus quidem aut Sanctus primario & propter se; Reliquiæ secundario & propter Christum, aut Sanctum: sicut, inquit S. Doct. eadem veneratione veneramus Regem & ejus vestimentum: undè concludit, crucem qualescumque adorari latræ, scilicet respectiva, eo modo quem explicavimus supra de Imaginibus; eadem enim est ratio de Reliquiis, hòc sensu consideratis. Si verò Reliquiæ considerentur præciè secundum relationem, quam habent ad Christum, aut Sanctum, cujus sunt Reliquiæ, quatenus fuerunt aliquid illius, aut eum tetigerunt, ut diximus de imaginibus tertio modo consideratis, tunc adorantur cultu inferiori, qui analogicè & reductivè tantum pertinet ad genus cultus Santo exhibiti. Idem est ac de imaginibus tertio modo consideratis.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. Nullus pius filius venerat contumeliam patris sui, puta flagellum, quo flagellatus est, vel lignum, in quo fuit suspensus: ergo. R. N. Conseq. (Ibid. ad 1.) Disparitas est, quòd flagellum & patibulum patris consideratur a filio ut opprobrium & malum patris tantum; si enim fuisset patris causa exaltationis, & filio liberationis ex acerba tyrannide, illa in pretio haberet. Nos autem veneramus crucem, clavos, lanceam sub secunda consideratione, quatenus fuerunt instrumenta triumphii Christi & nostræ liberationis.

Inst. Saldem præter veram crucem aliæ non videntur adorandæ: ergo. Prob. Ant. Licet adoremus veros clavos, veram lanceam, verum præsepè, verum sepulchrum, non tamèn adoramus omnes alios clavos, omnes lanceas, omnia præsepia, omnia sepulchra, &c. Ergo. R. N. Ant. Ad Prob. N. Conseq. Disparitas est; quòd ista omnia non representant imaginem Christi sicut crux; crux enim de novo facta non solum est imago primitivæ crucis, sed etiam ipsius Christi, quem nobis statim exhibet in ea extensus; nullum enim nunc habet alium usum apud nos post edictum Constantini, qui prohibuit fontes crucifigi: imò nec ista omnia sunt imagines eorum, quæ fuerunt instrumenta Passionis Christi, sicut crux est imago crucis, in qua pendit; ad imaginem enim non sufficit omnis similitudo, sic frater non dicitur imago fratris, nec ovum imago alterius ovi; sed requiritur, quòd unum exprimat ex altero ad ejus similitudinem, sicut nunc crucis omnes fiunt ad experimendam primam: at verò non omnes clavi, lanceæ, præsepia fiunt, aut eriguntur ad representanda illa, quæ fuerunt instrumenta Passionis Christi, sed ad alios usus: si tamèn in hunc finem erigerentur, sua veneratione non carerent, ut cum ponuntur in imagine cum cruce.

Repones: Si adoremus instrumenta passionis & alia, ratione contactus, sequitur, quòd paritèr potuissent adorari labia Judæ, manus crucifigentium Christum, asinus, cui insedit, &c. atqui hæc sunt absurda: ergo. R. Certum est, rem ex contactu ad aliquam personam excellentem secundum communem æstimationem hominum contrahere ordinariè aliquam dignitatem & venerabilitatem, qua fit, ut habetur in majori pretio, quàm antè; sed ad hoc requiritur, quòd moralitèr loquendo censetur participasse aliquoties ejus excellentiam, aut sanctitatem, & quòd nihil obstat in ea veneratione. Hoc notato, N. Sequelam argumenti; labia enim Judæ & manus crucifigentium nullatenus participaverunt sanctitatem Christi, sed potius malitiam eorum, quorum erant membra & partes vitales, ita ut fuerint instrumenta immediata Passionis, non tam èrat passio, quàm ut erat actio scelerata; potest enim sub hac duplici ratione considerari Passio Christi: crux autèm, clavi, & aliæ res inanimæ fuerunt instrumenta immediata Passionis Christi, ut passio erat sanctissima, mediata tantum actionis sceleratæ Judæorum. Quantum ad asinum repugnat ipsi deferri adorationem, quia erat brutum, & fuisset ignorantibus occasio idololatriæ. Adde, quòd

Christus non insederit immediatè Asino, sed vestimentis superpositis.

Urgebis: ex hac sententia sequitur, quòd crucis, quæ sunt in plateis & locis indecentibus, vel quæ exprimentur manu vel digito, debeamus adorare, quòd videtur absurdum. R. Equidem crucis non debere erigi in locis indecentibus: undè Theodosius Imperator prohibuit, ne humi pingentur vel sculpterentur, propter periculum eas pedibus calcandi. l. 1. cod. tit. 8. l. cum sit nobis. Ubi tamèn reperiantur, veneratione dignæ sunt, etiam crucis digito vel manu formata, ut docent Patres, citati à Nugno, Dionisio, Cyrillus Jerosol. Atanas. Basil. Chrysost. &c.

Obj. 2. Deus Deuteronom. cap. ult. abscondit corpus Moysi, ne coleretur à Judæis. Christus Luc. 11. & Math. 23. arguit Judæos, quòd sepulchra Prophetarum erigerent: ergo. R. ad 1. id esse factum à Deo, ne corpus Moysi coleretur ut Deus à Judæis, qui valde erant propensi ad idololatriam. Ità Chrysost. hom. 5. in Matth. Nec obstat, quòd non coluerint eum viventem ut Deum; ipsum enim tunc audiebant sæpe dicentem unum esse Deum, se verò servum: post mortem ejus verò, obliiti sermonum & memores mirabilium, quæ fecerat, facilièr potuissent eum cum Deo colere, ut fecerunt serpentem anemum. Ad 2. R. Christum his in locis non reprehendere Judæos præciè quòd sepulchra Prophetarum erigerent, sed quòd non imitarentur eos, quorum monumenta magnificabant, sed potius Patres suos, qui Prophetas occiderant, atque ita seipso condemnarent; quærebant enim ipsum occidere. Undè dicit, eos consentire operibus majorum suorum. Ità Chrysost. hom. 75. in Matth. Ambros. & Beda in c. 11. Luc.

Obj. 3. Concilium Illeberitanum can. 34. prohibet ne cerei per diem accendantur in cæmeteriis: Inquietandi enim, inquit, spiritus Sanctorum non sunt. Et D. Hieronymus Vigilanti, obijcienti idololatriam esse accendere de die cereos coram Reliquiis, nihil aliud respondet, quàm eos solo id facere, qui zelum Dei habent, sed non secundum scientiam. Et Aug. libr. de moribus Ecclesie c. 34. reprehendit sepulchrorum & imaginum adoratores: ergo. R. ad Concil. Illeberit. ibi tantum prohibere superstitionem Gentilium, qui, accensis cereis & variis aliis superstitione adhibitis, animas defunctorum evocabant, quasi illic adessent; talis enim evocatio est quædam inquietatio. Sic anima Samuelis evocata à Pytonissa dicit: Quare inquietasti me? Reg. 28. Ad S. Hieronymum: ibi tantum culpate eos, qui superstitione accendunt cereos coram Reliquiis Martyrum, putantes eos his cereis accessis illustrari, quia obijerat ei Vigilantius per ironiam: Magnum honorem præbet hujusmodi homines beatissimis Martyribus, quos putant devotissimis cereis illustrari. Seclusa autem hac superstitione, ibidem probat id esse pium & licitum: Quicumque, inquit, accendunt cereos, secundum fidem suam habent mercedem; hancque usum probat, quia ad lectionem Evangelii accendantur cerei. Idem probat in Epist. ad Riparium & in vita Paulæ. Ad Aug. R. ipsum eo loci non loqui de Sanctorum sepulchris, seu imaginibus, sed quorumlibet defunctorum; damnat ergo eos qui defunctorum manibus ad eorum sepulchra, seu imagines more gentium parentabant, offerentes eis panem & vinum, atque epulas, quibus deinde se ingurgitabant & inebriabant. Patet ex ejus verbis: Novi, inquit, multos esse sepulchrorum & picturarum adoratores: novi multos esse, qui luxuriosissime super mortuos bibant: & epulas cadaveribus exhibentes super sepultos, seipso sepeliant, & voracitates ebrietatesque suas deputent Religioni. Quòd autem non negaverit Augustinus religiosam venerationem sepulchrorum Sanctorum patet ex his verbis Epist. 42. ad Madurenses: Videtis, imperii nobilissimi eminentissimum culmen ad sepulchrum Piscatoris Petri submissio didemate supplicare.

Obj. ultimò: Sæpè falsas Reliquias venditari, & coli pro veris, quòd jam sæpè deprehensum est, & insinuat Aug. libr. de opere Monach. c. 18. ubi, cum dixisset Monachos quosdam circumferre Reliquias Martyrum, subdit: Si tamèn Martyrum. Adde, tot esse ejusdem generis Reliquias, ut oporteat vel eundem Sanctum habuisse multa corpora, vel multas Reliquias esse falsas. Ità Calvinus R. N. Ant. de Reliquiis, quæ auctoritate legitima in Ecclesiis venerationi Fidelium proponuntur, de iis enim tantum loquimur; sæpè enim Ecclesiis fidelitatem adhibuit, ne fraudes irrepent, maximè post decretum Concilii Lateran. qui cavetur, ne ullæ Reliquiæ publicè exponantur absque sufficienti examine & approbatione. Non mirum est autèm, Augustinum dubitasse de Reliquiis, quas privati quidam Monachi circumferrent. Quoad id, quòd additur de multiplicatione ejusdem Reliquiæ R. id accidere ex eo, quòd diversæ partes ejusdem corporis sint in diversis locis, & à parte denominetur totum. Sic toti quadraginta Martyres (ut scribit Basilisus Orat. in 40. Martyres) dicebantur esse in variis urbibus, quia quilibet civitas habebat aliquam partem eorum. Et Theodoret. l. 8. de Martyribus advertit, corpora Martyrum rarò inveniri integra in sepulchris, sed in variis locis esse distributa. Cæ-

Ceterum dato, posse, absolutè loquendo, aliquandò falsas Reliquias irrepere pro veris, non idèò tamèn ab omnium cultu abstinere debemus; sufficit enim ad eorum cultum licitum moralis certitudo de earum veritate, sicut eadem moralis certitudo sufficit, ut adoremus Hostiam consecratam, etsi possit accidere, quòd non sit consecrata. Adde, quòd sæpè sit error materialis tantum, ita ut dicantur reliquie unius Sancti, quæ tamèn sunt alterius.

Quæritur, utrùm Mater Christi sit adoranda adoratione latræ? R. Negative, Prob. (Ibid. art. 5. o.) Non est adoranda latræ absoluta; quia est pura creatura: neque respectiva; quia, cum sit creatura rationalis, est propter propriam excellentiam adoranda: Ergo. Patet Ant. pro 1. parte. Prob. pro secunda 1. Quia si creatura rationalis, quæ ratione sui digna est veneratione, adoratur latræ respectiva, præberetur occasio existimandi, quòd adorari ipsi tribueretur ratione propriæ excellentiæ. 2. Quia adorari hyperdulia propter se est quid majus, & nobiliss, quàm adorari latræ propter aliam. Licet enim latræ sit species cultus perfectior, & dignior, quàm dulia, seu hyperdulia, in individuo tamèn actus dulæ potest esse perfectior, & dignior actu latræ, sicut v. gr. licet iustitia sit virtus specie perfectior temperantia, potest tamèn actus temperantie summus esse in individuo perfectior actu iustitiæ infimo: & id contingit in actu relativo latræ, & absoluto hyperdulæ: quia actus latræ, licet quatenus absolutus est, & terminatur ad Deum, sit perfectior, & perfectissimus; ut tamèn est relativus, & terminatur ad creaturam insensibilem, non est perfectior; nec indè habet, quòd sit latræ, nisi materialitèr, ut diximus.



SUMMA

DOCTRINÆ CATHOLICÆ DE SACRAMENTIS in communi ex Conciliis Florentino, & Tridentino.

Decretum Concilii Florentini pro instructione Armenorum (Sub Eugenio. IV. anno 1439.)

Novæ Legis (S. Thomas Opusc. 5.) septem sunt Sacramenta: videlicet, Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Poenitentia, Extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium. Quæ multum a Sacramentis differunt antiquæ Legis. Illa enim non causant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurant: hæc verò nostra & continent gratiam, & ipsam dignè suscipientibus conferunt. Horum quinque prima ad spirituales uniuscujusque hominis in seipso perfectionem; duo ultimi ad totius Ecclesie regimen, multiplicationemque ordinata sunt. Per Baptismum enim spiritualitèr renascimur: per Confirmationem augemur in gratia, & roboramur in Fide: renati autèm, & roborati nutrimur divina Eucharistia alimonia. Quòd si per peccatum ægritudinem incurrimus animæ, per Poenitentiam spiritualitèr sanamur: spiritualitèr etiam, & corporalitèr, proit animæ expedit, per Extremam Unctionem: per ordinem verò Ecclesie gubernatur, & multiplicatur spiritualitèr: per Matrimonium corporalitèr augetur. Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet, rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona Ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi, quòd facit Ecclesia; quorum si aliquid desit, non perficitur Sacramentum. Inter hæc Sacramenta, tria sunt, Baptismus, Confirmatio, & Ordo, quæ characterem, id est, spirituale quoddam signum a cæteris distinctivum, imprimunt in anima indelebile: undè in eadem persona non reiterantur. Reliqua vero quatuor characterem non imprimunt, & reiterationem admittunt.

Canones Concilii Tridentini de Sacramentis in communi, (Sess. 7. 3. Martii 1547. sub Paulo III.)

I. Si quis dixerit: Sacramenta novæ Legis non fuisse omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta; aut esse plura, vel pauciora, quàm septem, videlicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium; aut etiam aliquid horum septem non esse verè, propriè Sacramentum; anathema sit. II. Si quis dixerit, ea ipsa novæ Legis Sacramenta a Sacra-

Dices: Coniunctior fuit Christo Mater ejus, quàm crux: ergo. R. C. Ant. N. Conseq. (Ibid. ad 5.) Quia crux, cum sit res insensibilis incapax secundum se honoris, non ratione sui, sed ratione alterius adorari debet: Beata autèm Virgo, cum sit secundum se honoris capax, honoranda est cultu, qui ei debetur secundum se, propter rationes allatas.

Repones: Honor Matris refertur ad Filium; atqui Filius adoratur latræ: ergo. R. D. Ant. (Ibid. ad 2.) Honor Matris refertur ad Filium ut ad finem, C. ut ad objectum, quòd eadem adoratione simul adoratur; N. Adoratio autèm imaginis refertur ad exemplar sicut ad objectum, seu terminum, qui eodem actu adoratur, ut diximus. Sunt tamèn quidam Recentiores, quos tacito nomine refert Nugno, qui existimant, B. Virginem propter intimam suam conjunctionem ad Christum, ejusque maternitatem, posse saltèm cultu interno adorari latræ respectiva; sed non videtur communis hæc opinio, magisque standum est communi praxi Fidelium, & sensui Ecclesie, quæ B. Virginem veneratur cultu quidem inferiore ad divinum, quia est creatura, sed superiore ad alios Sanctos, scilicet hyperdulæ, quia est excellentissima creatura, non solum ratione plenitudinis gratiæ, sed etiam maternitatis Dei. Et sic media via incedit inter duas hæreses, scilicet Antidico-marianitarum, qui nimis humilitèr de illa sentiebant, apud Epiphani. hæresi 77. & 78. & Collyridianorum, qui, in aliud extremum declinantes honores divinos ipsi deferabant, Collyridas, seu Placentas ei offerentes in Sacrificia, apud eundem Epiphani. Hæresi 79.

mentis antiquæ Legis non differre, nisi quia cæremonie sunt, alia, & alii ritus interni, anathema sit. III. Si quis dixerit, hæc septem Sacramenta ita esse inter se paria, ut nulla ratione aliud sit alio dignius; anathema sit. IV. Si quis dixerit, Sacramenta novæ Legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua; & sine eis, aut eorum voto, per solam fidem homines a Deo gratiam justificationis adipisci; licet omnia singulis necessaria non sint; anathema sit. V. Si quis dixerit, hæc Sacramenta propter solam fidem natriam instituta fuisse; anathema sit. VI. Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non continere gratiam, quam significant; aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre; quasi signa tantum externa sint acceptæ per fidem gratiæ, vel iustitiæ, & notæ quadam Christianæ professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus; anathema sit. VII. Si quis dixerit, non dari gratiam per hujusmodi Sacramenta sæpè, & omnibus, quantum est ex parte Dei, etiam si ritè ea suscipiant; sed aliquandò, & aliquibus; anathema sit. VIII. Si quis dixerit, per ipsa novæ Legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam; sed solam fidem divini promissionis ad gratiam consequendam sufficere; anathema sit. IX. Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, & Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale, & indelebile, undè ea reiterari non possunt; anathema sit. X. Si quis dixerit, Christianos omnes in verbo, & omnibus Sacramentis administrandis, habere potestatem; anathema sit. XI. Si quis dixerit, in Ministris, dum Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem, saltèm faciendi quòd facit Ecclesia; anathema sit. XII. Si quis dixerit, Ministrum in peccato mortali existentem, modò omnia essentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere, aut conferre Sacramentum; anathema sit. XIII. Si quis dixerit, receptos, approbatos Ecclesie Catholice ritus, in solemnibus Sacramentorum administratione adhiberi, consuetos, aut sine peccato a Ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quencumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse; anathema sit.